



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. Recensentur breuiter motiua quæ reddunt euidenter credibilia obiecta
nostræ fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

ipsum spectant, examinabimus suo loco *diff. 11.* vbi de ipso magis in particulari agendum est.

SECTIO IV.

Recensentur breuiter motiua, quæ reddunt euidenter credibilia obiecta nostræ fidei.

48

Diximus, requiri iudicium euidentis de credibilitate nostræ fidei, seu de obligatione eam amplectendi: oportet itaque ostendere, vnde hæc euidentis obligatio oriri possit, præsertim ad credendas ita firmiter res adeo difficiles, obscuras, & humanum caput superantes, ad hoc autem opus esset adducere motiua omnia credibilitatis, quæ obligant ad credendum, eorumque pondus & efficaciam ponderare. Hoc tamen longiorem postulat tractatum, & pertinet ad controuersitatem, qui contra infideles, vel hæreticos disputant, & ad eos conuincendos afferunt notas omnes religionis veræ, easque ostendunt in vna Christiana religione reperiri; quare nobis id magis supponendum est, quam probandum, cum de hoc argumento latissime, & vtilissime scripserint plures ex Patribus, & doctoribus antiquis, & recentioribus inter quos videri possunt Iustinus Martyr in *Apolog. pro Christianis*, Eusebius Cæsar. de *preparatione Evangelica*, Augustinus (Si ipse est auctor) lib. de fide rerum inuisib. cap. 7. & lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. Vincent. Lirinensis in suo Commentario, Tertullian. in *Apolog.* S. Thom. contra gentes præsertim lib. 1. cap. 6. & ex Recentioribus Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide, Thomas Bosius in duobus tomis de signis, seu notis Ecclesiæ, Valentia in præfati disputat. 1. questione 1. puncto 4. & in sua *Analysi*, Card. Bellarm. lib. 4. de Ecclesiâ militante, Lessius in sua consultatione de fide capeffenda, & Suarez in præfati *diff. 4. sect. 3. & 4.* Coninch. *diff. 11. dub. 3.* & latius Hurtado, qui alios refert, & multa ponderat, *diff. 21. per totam*. Nos indicabimus breuiter capita motiuorum, quæ ex citatis auctoribus facile locupletari poterunt.

49

Primum motiuum est puritas doctrinæ Christianæ

Primum itaque motiuum est puritas doctrinæ Christianæ: sicut enim ad examinandas reuelationes priuatas, an ex Deo sint, an ex Dæmone, vel ex proprio spiritu, attendere solemus, an in iis aliquid falsum contineatur, vel aliquid etiam turpe; neutrum enim à Deo esse potest: sic maxime oportet in examinanda vera religione attendere, an in eius doctrina contineatur aliquid vel falsum, vel bonis moribus aduersum: quare si in religione christiana quidquam falsum inueniretur, constaret eam non esse à Deo. Primum ergo eius argumentum sumitur ex eius veritate, per quod non intelligimus veritatem positiuam, hæc enim esset petitio principij, & probare eius veritatem, quia est vera, sed loquimur de veritate quasi negatiua, hoc est, quod in fide nostra nihil reperitur, quod aliunde falsum esse ostendatur; cum tamen in Philosophia ethnica, & in omnibus sectis Paganorum, & hæreticorum reperiantur plures falsitates, & mendacia, quæ ipsa etiam naturali ratione conuincuntur mendacij: quare in nulla ex iis potest esse Religionis veritas, de quo argumento agunt Eusebius lib. 8. de *preparat. Euangel.* & Clemens Alex. lib. 7. *stro-*

mat. Huc etiam spectat, nullam sectam æque perfectam sentire, & docere, ac Christianam, quæ Deum infinite perfectum, & sanctum semper adstruit, in quo aliæ omnes sectæ deficiunt, in quibus pleraque vitia aut defectus in Deo finguntur, imo & ab ipsis Iudæis, postquam à vera fide defecerunt, in hoc magnopere erratum, de quo videri etiam potest Ludouicus Granatenis in suo *Catechismo parte 4. cap. 22.* vbi innumeros errores Hæreticorum refert circa Dei perfectiones.

Secundum, & simile motiuum est puritas, & sanctitas morum, quam Christiana religio docet, cum Deo placere non possit doctrina à regula honesti declinans, proinde declinant omnes alie vel præcipiendo, vel permittendo turpissima vitia, adulteria, fornicationem, vsuras, votorum violationem, ingluuiem, ebrietatem, & his similia, ad quam potissime impuritatem homines facile Mahometinum, vel hæreses amplectuntur, non maioris sanctitatis, aut perfectionis studio. Quæ autem, & quam infanda scelera Religio publica Romana, cuius leges sanctiores aliis omnibus videri poterant, in media vrbe nutriet, & foueret, videri potest Iustinus Apolog. 2. *Lex autem Domini immaculata conuertens animas*, Psalm. 18. quia nimirum eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum sepius: nullam scilicet maculam etiam mentalis concupiscentiæ turpis non condemnando, cum tamen tota Philosophia moralis longis obscurisque disputationibus moralibus puritatem eiusmodi nec allequa fuit, nec vili vnum persuaserit, quam Christi lex paucis, & clarissimis verbis, & docuit, & mentibus hominum, votorum, puerorum, puellarum firmiter impressit, quæ moribus suis eam ita exprimerent, vt vitam facilius profunderent, quam ab ea puritatis regula declinarent. Videant, quæ ad hoc argumentum congerit, & acriter ponderat Hurtado vbi supra §. 112. & sequentibus.

Hinc autem oritur tertium, & potissimum motiuum, nempe vitæ sanctitas, & puritas in iis, qui Christianam Religionem professantur: nam licet in iis aliqui etiam deprauatis moribus inueniantur: hoc non officit fidei nostræ sanctitati, quæ scelera illa non approbat, sed omnino reprobatur, & suorum præceptorum, consiliorumque puritatem, & possibilitatem satis aperte manifestat in iis, qui multi semper fuerunt, qui eadem mente, atque opere etiam amplectuntur, vnde in nulla alia religione, vel secta homines sancti, & immaculati inueniuntur, nisi in Catholica Ecclesia, in qua semper plures sanctitatis etiam extraordinaria insignes, & mirabiles conspiciuntur, in quibus nec ipsi nostræ fidei aduersarij quidquam reprehensione dignum in moribus inuenire potuerunt: homines pij, casti, sobrii, humiles, opum, & honoris contemptores, erga omnes beneficii, etiam quoad vitam pro suis proximis profundendam, mansueti, iniurias non vindicantes, sed eas facile condonantes, & non tantum beneficiis compensantes, Religio ceteris quæ hæc & similia suadet, & persuadet, non potest Deo non placere, qui totius sanctitatis, & innocentie auctor, & amator est. Huc autem spectat etiam id quod aliqui pie, & prudenter obseruauerunt, nullius alterius sectæ hæreticos nationem, vel prouinciam aliquam paganorum, & gentilium à paganismo ad Christum primo conuertere

cisse studuisse. Curarunt quidem, eos iam per ministros Catholicos semel conuersos peruenire, & trahere ad suam sectam, propterea Ariani traxerunt ad suam sectam Gothos, ubi primum ad Christum Catholicorum opera conuersi fuerant; nunquam autem heretici solliciti sunt de pagani ad Christum adducendis, sicut est contra Catholicos quotidie ad Barbaras, & incultas gentium nationes eo zelo penetrant, cum vitæ etiam propriæ, & sanguinis iactura: unde clarè constat, hæreticos non Dei gloriam, sed suam solam, & proximorum mortem optare, cum totum eorum studium non sit eos, qui cæci erant illuminare, sed obsecrare potius eos, qui iam semel fuerant illuminati.

Quartum caput est perseverantia, & uniformitas absque mutatione vlla, aut varietate doctrinæ nostræ religionis ab initio vsque ad hanc diem: quod in aliis sectis non invenitur, de quarum omnium initio nobis constat, & qua occasione ceperint, cum antea nemo esset in mundo, qui eas profiteretur: nam ab ipso orbe condito fuerunt sine vlla interruptione, qui Deum vnum colerent, qualem nos colimus, & quibus Christus promissus, & sperandus fuerit, quibus nos non contradicimus, sed omnino consentimus, cum illum eundem, quem ipsi venturum crediderunt, & sub talibus signis demonstrarunt, nos signis eisdem visis, venisse credimus. Ab ipso autem Christo vsque ad hanc diem semper fides eadem, quam nos profiteamur, à pluribus habita, & prædicata fuit, nec ostendi poterit, quando mutationem acceperit, vel quando ceptum sit credi, quod nos nunc credimus, cum antea non crederetur, sicut de erroribus omnibus hæreticorum ostendi id facile potest. Hoc autem certissimum signum est veræ fidei, quia teste Paulo ad Ephes. 4. *Vnus Deus, una fides, unum baptisma.* Quod morium, ut ponderavit Suarez *vbi supra numero 11.* visum est August. efficacissimum *lib. contra epistolam fundamenti cap. 4.* propter continuam successionem Episcoporum in Sede Apostolica, cum tamen tunc 42. successores soli numerarentur: quanto ergo nunc efficacius ei videretur post continuas eadem successiones per tot sæcula absque vlla interruptione: quod clarè ostendit, sicut verissimè Christus promissus dicens. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* sic etiam verissime promississe Petro, *super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt adversus eam.*

Quintum caput huic affine est, modus, quo christiana fides propagationem hanc, & perseverantiam consequuta est; non potentia, non armis non opibus, sed per homines rusticos, despectos, ignobiles, indoctos, & contemptibiles, qui fidem omnino sensui repugnantem, præcepta difficilia, rerum temporalium contemptum, & vitæ ipsius ac vnius hominis publicè puniti, & crucifixi supremum cultum, & diuinitatem persuaserunt Principibus, Doctoribus, sophistis, ducibus, oratoribus, & regnis, ac provinciis, totique mundo: quod quidem impossibile esset nisi Dei digitus causam suam promoueret, & nisi opus hoc vidisset August. *lib. 22. de Ciuit. cap. 7.* virtutis fuisse diuinæ, non persuasionis humane. Præsertim cum id factum fuerit opponentibus sese Regibus, Principibus, Imperatoribus, sacerdotibus, Magistratibus, Plebe, & mundo vniuerso. Videatur Damascenus *lib. 4. de fide cap. 4.* & Chrysostomus *de Lugo de Virtute Fidei Diuinæ.*

foet. tom. 5. homil. 2. contra Iudæos non longè ab initio.

Sextum caput est, quod multa etiam completur ex testibus, in quorum numero est Christus ipse omnium confessione vir immaculata vitæ, & summæ sapientiæ, de quo credi non potest, quod per malitiam, vel ignorantiam voluerit decipere. Item Ioannes Baptista, qui ab ipsis etiam aduersariis Christi, sanctissimus iudicatus est, & testimonium amplissimum dedit Christo, & eius doctrinæ. Dæmones etiam ipsi coacti sunt sæpe inuiri Christi diuinitatem, & veritatem doctrinæ Christianæ confiteri. Evangelistæ deinde, qui ita sincere, & in particulari opera Christi narrarunt, & scripserunt in conspectu eorum, qui præsentés fuerant, & à quibus manifestè mendacij conuinci statim potuissent, si vera, & omnibus nota non narrassent. Apostoli, item viri sanctissimi, & sanctissimi, qui oculati testes fuerunt, & testimonium suum absque vlla spe temporalis emolumenti prolatum proprio sanguine confirmarunt. Innumerabiles martyres ex omni sexu, ætate, conditione, & natione, qui pro eiusdem fidei veritate non mortem solam, sed acerbissima tormenta, quæ tortorum industria excogitare potuit, non patienter solum, sed alacriter, iocundè, & audacissimè sustinuerunt, quorum numerum ad vndecim ferè milliones peruenire ex variis auctoribus colligit Granado *dicta disput. 1. numero 6.* denique accedit testimonium etiam ex ipsis infidelibus petrum, quales sunt Iosephus, qui *lib. 18. antiq. cap. 7.* Ioannis Baptista sanctimoniam miris laudibus extollit, & *cap. 8.* Iacobi Apostoli quem fratrem Iesu Christi appellat, innocentiam & sanctimoniam commendat. Phlegon etiam liberius Adriani Imperatoris, cuius verba refert Origenes *tom. 2. lib. 2. contra Celsum,* & Eusebius in *Chronico Anno Christi 33.* narrat Eclipsim & terræ motum in morte Christi factum. Iosephus etiam *dicto lib. 18. cap. 4.* amplissimum testimonium de Christo dedit his verbis. *Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum parator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Iudeis, quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat (Alij legunt, & credebatur esse Christus) quem accusatum à nostra gentis Principibus, Pilatus cum ad dixeret cruci; nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita ut diuinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & usque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatione non deficit.* De quo testimonio, & eius veritate, quamuis ab Hebræis dolose abasum fuerit, plura ex antiquitate Baronius anno Christi 34. *num. 226.* alij, quos congerit Hurtado *vbi supra §. 142. & sequentibus.* Accedit testimonium eiusdem Pilati, qui non solum in ipso tribunali professus est Christi innocentiam, sed etiam ad Tiberium Cæsarem testimonio missò de rebus mirabilibus Christi, cuius testimonij meminerunt Gregor. Turon. *lib. 1. histor. num. 24.* Eusebius in *Chronico anno Christi 25.* Tertullian. in *Apologet. cap. 5. & 21.* & alij, quos referunt Baronius anno Christi 24. à *num. 227.* & Gordonus anno Christi 35. initio, & Hurtado *vbi supra §. 130. & sequentibus.* Accedit epistola Marci Aurelij Imperatoris, qua Christianorum pietatem commendat, & quod eorum precibus imbres in siti, & victo

54

Sextum morium, ex Testibus.

Q 3

victo

Principatus, quæ id testantur; Vnde evidens etiam est debere nos adorare hostiam in Ecclesia propositam; licet nec evidenter nec per fidem constet nobis, quod sit consecrata. Evidens est, debere filium colere, & reuereri suum patrem licet non sciat evidenter, esse suum patrem, & sic in alijs, in quibus non adest ratio prudenter dubitandi. Multo ergo magis evidens erit, debere nos credere ea, quæ à Deo nobis proponuntur, quamuis non sit evidens, à Deo proponi, quando nimirum non est fundamentum prudenter de hoc dubitandi, & tot sunt fundamenta ad credendum, quod Deus loquitur, & exigit à nobis fidem, & per consequens vult nos obligare ad præstandam fidem. Vnde merito August. qui acerrimo, quo pollebat ingenio, vim, & efficaciam horum motivorum penetrabat, obligationem etiam falsus est ex illis prouenientem lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. illis grauisimis verbis: *Multa, inquit, sunt quæ in Ecclesia me infirmitate tenent; (hoc est ligatum, & obligatum retinent) consensus popularum, & gentium, auctoritas miraculis inebriata, spe auita, firmata, & vetustate nutrita: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli cui pascendas oves suas Dominus mandauit, & que ad presentem Episcoporum successio Sacerdotum; tenetque denique ipsum Catholicæ nomē, quod non sine causa inter tam multas hereses sola hæc Ecclesia obtinuit.* Quotid ergo magis hanc obligationem agnosceret ex alijs deinde motiuis additis, quæ breuiter enumerauimus, & quorum exortatio videri poterit apud citatos Auctores, & apud Ludouicum Granatensem pie pariter, & grauius, ac eloquenter de iis omnibus late agentem in suo catechismo?



DISPUTATIO VI.

De actu fidei, & imprimis de eius certitudine.

SECTIO I. In quo consistat certitudo assensus intellectualis.

- II. An, & quomodo certitudo fidei superet alios assensus certos. Referuntur variae sententiae.
- III. Excessus certitudinis in fidei assensu explicatur.

DIXIMVS de obiecto formali, & materiali fidei diuina: nunc iam incipimus agere de eius actu, quo propter diuinam auctoritatem, & testificationem credimus obiecta reuelata, qui est proprius actus fidei; & in primis dicendum est de eius certitudine, & an excedat certitudinem aliorum assensuum, quos habemus. Sunt autem in hac quaestione, non pauca de vocibus: nisi enim conueniamus in eo, quod significatur per actum certum, non possumus discernere, an fides sit certa, & magis certa, quam alij assensus.

SECTIO I.

In quo consistat certitudo assensus intellectualis.

NON agimus de certitudine in genere, prout applicari solet ad actum etiam voluntatis, imo & ad alias actiones externas, nam certa voluntas dicitur, qua quis firmiter aliquid decernit: certus ictus, qui non errat à scopo, & sic de alijs. Nunc solum agimus de certitudine illa, qua actus intellectus dicitur certus: quam quidem vulgares, & crassi homines nihil, aut ferè nihil distinguunt ab euidencia, & tunc solum dicunt, se esse certos de re aliqua, quando clarè eam cognoscunt. Et fortasse prima nominis etymologia hæc fuit, ut certum dicatur à cernendo, ut id solum certum nobis sit, quod cernitur. Carterum negari non potest, quod certitudo latius pateat, quam euidencia: alioquin fides nostra certa non esset, quæ inuidens, & obscura est: cuius contrarium supponitur omnino in Tridentino sess. 6. cap. 9. dicente, neminem sine peculiari Dei reuelatione scire posse certitudinem fidei, cui falsum subesse non potest, suam iustificationem, &c. & constabit ex omnibus infra adducendis.

P. Suarez in præsentis disp. 6. sect. 5. num. 6. dicit, per certitudinem intelligi eam, quæ excludit omnem formidinem, seu dubitationem, aut periculum falsitatis. Ille tamen modus loquendi distinctiue non placet, quia non sufficit ad certitudinem formalem, de qua loquimur, excludere periculum falsitatis: nam iudicium probabile, quo aliquis credat, Deum esse Trinum, excludit omne periculum falsitatis, cum implicet contradictionem assensum illum esse falsum: & tamen non est actus certus, sed formidolosus: non ergo sufficit distinctiue illa exclusio.

Alij ergo in vniuersum ita definiunt assensus certitudinem, ut sit firma adhesio intellectus circa aliquod obiectum verum. Ita Banez in præsentis quest. 4. artic. 8. quod postea amplius explicat addendo ad verba prædicta, ut sit adhesio firma ad obiectum verum secundum firmam, & stabilem rationem veritatis: quod addit ut excludat assensum illum firmum, quem aliquis præstat obiecto vero, ob rationem fallibilem, quam putat esse certam. Hoc tamen adhuc non explicat sufficienter certitudinem assensus, quando enim exigitur firmitas, & stabilitas in ipsa etiam ratione assentiendi, vel sermo est de ipsa ratione assentiendi obiectiua secundum se, vel de modo etiam assentiendi tenente se ex parte intellectus, si primo modo intelligatur; id non sufficit; nam potest aliquis assentiri vero alicui firmiter, & propter rationem in se firmam & veram, cuius tamen firmitatem non cognoscit sufficienter, & tunc assensus non erit certus, sed imprudens, quia iuxta regulas prudentiæ non debuisset esse ita firmus. Si verò intelligatur secundo modo, non explicatur adhuc, quid sit stabilitas illa, & firmitas tenens se ex parte intellectus.

Propter hæc P. Coninch. disp. 14. dub. 4. numero 44. & sequentibus dixit, certitudinem formalem esse firmitatem assensus, qua intellectus alicui obiecto firmiter, & modo in se omnino infallibili adhæret. Vnde ad hoc duo requirit. Primum, quod

De qua certitudine hic agitur.

Certitudo latius patet quam euidencia.